

cundum rationem, dici possit una ex actionibus distinctis ibi concurrentibus, vel illa actio tota incomplete concepta, non dicetur tamen proprie actio partialis, quia non est pars alicujus actionis totalis. Quod si aliquis illam vocaverit causalitatem partialem, eo modo quo priores Doctores vocant Deum causam partialem, oportet ut cum aliquo addito vel cum sufficiente explicatione loquatur, ut addendo *secundum rationem*, vel secundum nostrum concipiendi modum, vel quid simile.

CAPUT XXVIII.

AN DEUS, ETIAM IN ORDINE GRATIÆ, PER CONCURRENTIUM SIMULTANEUM INFLUAT IN EFFECTUM ET ACTIONEM CAUSÆ SECUNDÆ IMMEDIATE, IMMEDIATIONE VIRTUTIS ET SUPPOSITI.

1. *Necessitas hujus questionis.* — *Concluditur: Deus utroque illo modo concurrat immediate.* — *Probatur primo in universum.* — Resolutio hujus puncti necessaria est ad sequentia, et ideo præmittenda est, quam breviter expedire possumus, quia in eo vel nulla est dissensio opinionum, vel, si quæ est, parvi est momenti, et inter ipsos etiam Thomistas versatur. Dico ergo Deum ad actiones gratiæ per se et immediate concurrere per influxum simultaneum utroque ex illis modis. Probatur imprimis generatim; quia illa causa dicitur immediata respectu alicujus effectus, a qua immediate procedit actio quæ immediate etiam terminatur ad talem effectum; sed actio quæ immediate terminatur ad effectum creaturæ, immediate procedit a Deo, ut causa prima, et generaliter concurrens; ergo Deus est causa immediate influens in talem effectum. Major videtur clara, quia causa efficiens et effectus ejus quasi se contingunt et connectuntur media actione; actio autem duplicem dicit habitudinem, ut actio est, nimirum quod sit ab agente, et quod tendat in terminum, et ideo quando immediate dicitur habitudinem ad causam et ad terminum, immediate inter se illa connectit; illa ergo est causa immediata ad quam dicitur actio immediatam habitudinem. Et hæc immediatio hic magis consideratur quam propinquitas localis vel intima præsentia. Nam si, per impossibile, Deus distaret loco a creatura, et in habitudine actionis vel dependentiæ illam eodem modo produceret, esset causa immediata; et e converso, licet secundum præsentiam substantialem esset intime indistans, si actio causæ secundæ non esset immediate a

Deo, sed a causa secunda, ut voluit Durandus, Deus non esset causa immediata talis effectus ex immediate suppositi, quamvis suppositum Dei a tali effectu loco non distaret. Nunc autem actio causæ secundæ, ut ostensum est, dicitur immediatam habitudinem ad Deum propter dependentiam per se et essentialem ab ipso.

2. *Secundo, probatur de immediatione virtutis.* — Probatur præterea in particulari pars prior de immediatione virtutis, propter quam declarandam hanc questionem proponimus. Est enim clarissima secundum opinionem, quæ negat generalem concursum Dei prævium, seu in causam. Nam tunc in causa secunda solum præcedit virtus activa quam Deus illi concedit in actu primo, sive per naturam, sive per gratiam. Si ergo Deus non concurreret ad effectum causæ secundæ nisi mediante mediatione virtutis, profecto non aliter influeret nisi dando virtutem agendi causæ secundæ, et illam conservando: at hoc est incidere in errorem Pelagii et Durandi; ergo necesse est fieri Deum influere immediate per virtutem suam, quæ, juxta illam sententiam, nulla est alia nisi virtus increata in ipso Deo existens. At vero, juxta sententiam ponentem concursum prævium causæ primæ in secundam, res indiget majori explicatione. Nam, juxta illam sententiam, præter omnem virtutem causæ secundæ constitutæ in actu primo, datur illi a solo Deo nova motio quæ, ut infra videbimus, dicitur esse virtus quasi instrumentalis ipsius Dei, a qua immediate fit actio causæ secundæ, quatenus in virtute causæ primæ operatur, et præsertim quatenus dat suo effectui esse existentia.

3. *Etiam in sententia quæ ponit concursum primum Dei.* — Cum ergo dicitur Deus concurrere ad effectus causæ secundæ immediate mediatione virtutis, intelligi posset juxta illam sententiam ratione illius virtutis Dei, quæ est quid creatum prius natura factum a Deo in ipsa causa secunda, sine alio influxu qui sit immediate a virtute increata Dei. Et hunc sensum non sufficere assero, imo esse omnino falsum, et ex parte incidere in sententiam Durandi, quia illo modo Deus non esset causa per se et directe influens in effectum et actionem creaturæ, sed tantum per accidens, vel per denominationem remotam sumptam ab actione virtutis impressæ causæ secundæ, sicut qui impressit impetum lapidi dicitur movere lapidem, non per se et per proprium influxum in motum ipsum, sed remote et per quamdam

denominationem ab actione impetus, tanquam ab actione instrumenti separati. Hoc autem est contra rationem primæ causæ, a qua per se et essentialiter pendet omne ens per participationem, qualis est omnis effectus et actio creaturæ. Unde sine dubio dicendum est actionem creaturæ esse immediate a Deo immediate virtutis increatæ in ipso Deo existentis, ita ut licet admittatur illa prævia motio in causa secunda, et quod ab illa etiam procedat immediate in suo genere actio causæ secundæ, negari non possit hæc immediata manatio actionis causæ secundæ ab increata virtute Dei. Atque ita videntur sentire moderni Thomistæ ponentes illam motionem præviam; nunquam tamen rem ipsam satis explicant; melius eam exposuit Cajetanus, 1 p., q. 19, art. 8, quia præviam illam motionem non agnovit.

4. *Tertio, probatur de immediatione suppositi.* — Superest in particulari probanda et explicanda pars altera de immediatione suppositi. Nam quidam Thomistæ dixerunt Deum, concurrente cum causis secundis, non efficere effectus earum immediatione suppositi, licet creando vel conservando aliquid, per seipsum immediate operetur immediatione suppositi. Ita sentit Ferrar., 3 contra gent., capit. 70, et tribuit D. Thomæ, ibi ratione 1. At vero Cajetanus, 1 parte, quæstione 8, art. 1, distinctione utitur de Deo etiam ut concurrente ad effectum creaturæ; nam quatenus dat illi existentiam, dicit sub hac ratione agere Deum immediate immediatione suppositi; ut vero concurrat cum causa secunda ad formam, vel motum quem ipsa causa secunda efficit principaliter, dicit non agere immediatione suppositi, sed tantum virtutis. Itaque in hoc videntur convenire, quod Deus tunc solum operatur immediate immediatione suppositi, quando solus sine concursu alterius suppositi operatur, saltem ut causa principalis. Cajetanus autem addit Deum solum efficere esse existentia, etiam quando concurrat cum creatura ad operandum, et illum sequitur Alvarez d. 18, n. 10, et tribuit D. Thomæ, q. 3, art. 7; neutrum autem nobis verum videtur.

5. *Distinctio Cajetani rejicitur.* — Et imprimis distinctio illa Cajetani rejicienda est, quia etiam causæ secundæ dant suis effectibus esse existentia, alias nihil efficerent, quia efficere rem aliquam non est aliud quam dare illi existentiam quam antea non habebat. Nam res prius quam fiat non est res actu, sed tantum in potentia. Unde ut sit res in potentia, non oportet ut fiat, sed ut possit fieri per effec-

tionem; ergo fit res vere et actu, ubi per existentiam constituitur in esse actualis entis; ergo nihil aliud est rem fieri, nisi accipere existentiam. Ergo vel causæ secundæ nihil agunt, vel dant effective existentiam suis effectibus; ergo ex hac parte non magis concurrat Deus immediate immediatione suppositi cum causis secundis ad esse existentia suorum effectuum, quam ad ipsos effectus. Neque probabilior est subdistinctio dicentium causas secundas esse causas principales in suo genere suorum effectuum, quantum ad formas vel naturas eorum, quantum vero ad communicandum esse existentia, esse tantum instrumenta Dei. Hoc enim etiam est falsum, quia omnis efficientia, sive principalis, sive instrumentalis, est communicatio alicujus esse existentia, quia per illam immediate producitur aliqua entitas actualis, quæ incipit esse in rerum natura, et hoc est recipere existentiam. Unde si causæ secundæ aliquam rem producunt ut causæ principales in suo genere, eodem modo producunt aliquam existentiam; vel e contrario, si in productione existentia sunt tantum propria instrumenta Dei, nihil efficiunt ut causæ principales. Sed de hoc puncto in sequentibus capitibus occurret occasio dicendi plura, ubi de illo etiam loco D. Thomæ, quæst. 3 de potent., dicemus. Nunc vero ad immediatam actionem Dei parum refert illa distinctio, quia etiam actio instrumenti potest impedire immediationem suppositi in agendo: nam animal per semen generat tanquam per instrumentum, et id satis est ut non efficiat tunc immediate immediatione suppositi, sed tantum immediatione virtutis semini impressæ.

6. *Probatur conclusio.* — Quapropter generaliter assero concursum Dei cum causa secunda esse immediate a Deo immediatione suppositi. Ratio est, quia immediatio suppositi non consistit in hoc quod sit unicum suppositum agens, alias etiam creatura non ageret immediatione suppositi, quia non est unicum suppositum agens, nam etiam Deus est ibi suppositum sua virtute immediate influens, et tria supposita divina in omni sua actione simul operantur, et plures portantes lapidem immediatione suppositi ibi concurrunt. Tunc ergo solum dicitur aliquid operari mediate mediatione suppositi, quando per solam virtutem alteri supposito communicatam influit in effectum talis virtutis, sicut de generante per semen decisum dicebamus, et idem est de movente per impetum impressum, ut dicebamus de movente lapidem, juxta modum lo-

quendi philosophorum. At vero quoties suppositum per virtutem sibi inhærentem sive intrinsecam immediate operatur, tum vere agit immediatione suppositi, etsi habeat aliud suppositum cooperans, seu simul efficiens, sive in eodem genere causæ, sive diverso; quia concomitantia alterius causæ non constituit mediationem propriam inter ipsa supposita causantia, quia nec illa mediatio invenitur secundum localem propinquitatem vel distantiam, nam possunt esse simul conjuncta, vel sufficienter applicata ad immediate efficiendum, ut maxime est evidens in Deo, respectu cujuscumque suppositi creati, neque etiam invenitur illa mediatio in habitudine causæ et effectus, quia productio talis effectus immediate potest fluere ab utroque supposito, sicut fluit immediate ab utriusque virtute. Ostensum autem est concursus causæ primæ esse immediate a virtute increata Dei, quæ virtus est intime in ipso Deo, imo est ipsum suppositum Dei, et intime adest omni operi causæ secundæ illud faciendo. Quid ergo amplius desiderari potest ad immediationem suppositi? Ratio enim alterius sententiæ solum probat in hoc concursu Deum non esse unicum suppositum agens, non vero non esse immediatum, quod longe diversum est.

7. *Obiectio diluitur.* — Sed objicies, quia communiter dicitur quod Deus operatur effectus causarum secundarum illis mediantibus. Et ita causa secunda vocatur proxima, et universalis remota, ut patet in cælo et in aliis intermediis causis. Respondeo etiam communiter dici, causam primam intimius et immediatius attingere et quasi penetrare effectum omnis causæ creatæ, quam ipsa causa secunda, quod, quia ad Dei perfectionem pertinet, majori proprietate est intelligendum, non solum de virtute, sed etiam de supposito, cum et in Deo hæc non distinguantur, et eadem sit utriusque ratio, ut declaravi. Dicitur ergo Deus agere mediis causis secundis, quia etiam illis dat virtutem operandi, et illas conservat, et suos motus agere sinit, et ita etiam per illas operatur, quamvis non per illas solas, sed etiam immediate per seipsum illas adjuvando, et immediate cum illis efficiendo, ut explicatum est.

8. *Eminentia primæ causæ hac in parte.* — Et in hoc superat Deus alias causas universales creatas et cælos; nam istæ ordinarie non agunt cum causis secundis inferioribus immediatione suppositi, sed virtutis, imo ordinarie non influunt in ipsam actionem causæ infe-

rioris, sed in ipsam causam, ut inferius explicabo, et ita respectu aliarum causarum creatarum universalium facile intelligitur, quomodo Deus intimius et immediatius agit cum causa inferiori. At vero, respectu causæ secundæ proximæ et particularis, non dicitur Deus immediatius agere propter solam negationem causæ mediæ: nam hoc modo etiam causa secunda proxima agit omnino immediate immediatione suppositi, id est sine medio; sed id dicitur vel propter altiore rationem immediationis, ad eum modum quo unus assensus dici solet certior alio, non propter solam carentiam formidinis, quæ in utroque potest esse integra, sed propter altiore rationem assentiendi. Sic ergo dici potest Deus immediatius influere, quia a se et essentialiter habet illam immediatam causalitatem, nec potest quidquam fieri sine illa, quod non ita est in causa creata. Vel etiam dici hoc potest, quia causa creata non intime adest suo effectui sicut Deus, quod maxime patet in causis secundis naturalibus, seu corporalibus; per se enim et immediatione suppositi solum agunt in passum in quantum illud attingunt, et per solam virtutem quasi diffusam penetrant ipsum. Deus autem non sic, sed intime adest, et per seipsum immediate agit in toto, et in singulas partes ejus. In causa vero spirituali, ut in voluntate, respectu sui actus, non ita procedit hæc ratio; prior vero ad illum modum loquendi sufficit.

CAPUT XXIX.

UTRUM PRÆTER SIMULTANEUM CONCURSUM GRATIÆ, QUI EST IN ACTUM VOLUNTATIS VEL INTELLECTUS, SIT NECESSARIUS ALIUS PRÆVIUS IN POTENTIA RECEPTUS, ET A MOTIBUS EXCITANTIS DISTINCTUS: REFERTURQUE PRIMA SENTENTIA CUM SUIS FUNDAMENTIS.

1. *Ratio dubitandi, et status quæstionis.* — Quæstio hæc valde conjuncta est cum quæstione de auxilio efficaci gratiæ; est tamen in rigore distincta, et, magna ex parte, ex diversis principiis pendens, pertinetque ad auxilium per modum concursus, de quo disputamus, et ideo non potest hoc loco prætermitti. Duplici ergo ratione vel titulo potest hæc præmotio divina requiri ad actus voluntatis humanæ. Primo, ex generali ratione concursus primæ causæ cum secundâ, sive naturali, sive libera. Secundo, ex peculiari necessitate, vel indigentia orta ex propria excellentia ordinis gratiæ,

et actuum ejus, quatenus vires naturales voluntatis humanæ excedunt. Hæc vero posterior consideratio pertinet ad librum quintum; ideo quoad fieri possit, illam a priori separabimus, et in illum locum eam remittimus. In priori autem sensu quæstio in præsentem tractanda est; nam, quia diximus in actibus supernaturalibus dari influxum immediatum Dei, per modum simultanei concursus, ex generali ratione et subordinatione causæ secundæ ad primam, videndum superest an ex vi ejusdem subordinationis et dependentiæ sit necessarium aliud auxilium a solo Deo ut a prima causa ipsi voluntati inditum, prius natura quam velit aut amet, vel similem actum efficiat, ut per illud physice juvetur, vel determinetur ad talem actum. Unde hæc quæstio duplicem generaliore involvit, una est de concursu Dei cum omnibus causis secundis, an sit influxus non tantum in effectum causæ secundæ, et simultaneus cum actione ejus, vel etiam sit influxus prævius in ipsam causam. Alia est an hic concursus prævius, saltem in causa libera et indifferente ad agendum hoc vel illud, aut agendum et non agendum, sit per se ac semper necessarius ad effectum seu proprium actum talis causæ. Prius ergo priorem quæstionem, deinde posteriorem prosequemur, cujus resolutionem ad supernaturales actus gratiæ in fine applicabimus.

2. *Prima sententia admittit necessitatem influxus prævi ad omnem actionem creaturæ.* — Prima ergo sententia docet necessarium esse hunc influxum prævi ad omnem actionem causæ secundæ, ex subordinatione et dependentia essentiali quam causa secunda habet a prima: hanc sententiam, tanquam communiter receptam in schola D. Thomæ, defendunt constanter moderni Scriptorum physicæ prædeterminationis defensores; nam hanc præmittunt ut basim et fundamentum suæ doctrinæ de efficacia gratiæ. Et imprimis tribuunt illam Capreolo, 2, d. 1, q. 2, præsertim in conclusione 6, et ad argumenta contra illam. Sed ibi Capreolus necessitatem concursus simultanei expresse declarat, illamque, quatenus extra Deum est, dicit esse eandem actionem causæ secundæ, prout a Deo est. Alium vero influxum causæ primæ in secundam non distinguit nec declarat, sed loquitur eisdem modis quibus D. Thomas, quem allegat, præsertim in quæst. 3 de Potent., art. 7, de quo infra dicaturi sumus. Citatur etiam idem Capreolus in 2, d. 28, quæst. 1, ad 12, contra secundam conclusionem. Sed ibi potius docet influentiam

generalis concursus positam esse in sola partiali coefficientia Dei, ut cap. 35 latius referam.

3. Præterea tribuitur hæc sententia Cajetano, 1 p., q. 14, a. 13, circa principium, et q. 19, a. 8, in fine; sed in his locis potius docet contrarium, ut capite 35 ostendam. Refertur præterea in eadem prima parte, quæst. 45, art. 5, ubi, Durando respondens, ait causam secundam non agere nisi ut instrumentum Dei, quia oportet ut agatur a Deo multipliciter, quod remittit ad modos numeratos a D. Thoma, dicta quæst. 3 de Potent., art. 7, in quibus videtur hic includi, de quo infra videbimus. Allegatur denique prima part., quæst. 115, art. 6, § *Ad evidentiam*, ubi non de concursu Dei, sed de influentia cælorum tractat, de qua est ratio longe diversa, ut postea videbimus.

4. *Hujus sententiæ defensores.* — Hanc vero sententiam aperte tradit Ferrar, 3 contra gent., cap. 70, § *Circa illam propositionem*; eandem tenet Cabrera, 3 p., quæst. 17, artic. 4, d. 2, § 3, num. 113, ubi variis exaggerationibus utitur, quibus respondere non est necesse, multaque allegat et congerit quæ ad rem non faciunt, quia confundit quæstionem universalem de generali concursu cum quæstione de auxilio gratiæ efficaci, de qua nunc non tractamus. Eandem fere eodem modo defendit Alvarez, disp. 18; et Ledesma, de Auxiliis, in principio quæstionis, conclus. 3, et latius art. 2, conclus. 2, et toto art. 3 et 18. Alios omitto, quia nihil superioribus addunt. Solet etiam hæc sententia tribui Aristoteli, Augustino, et maxime D. Thomæ, quorum testimonia nunc omitto, quia de illorum sententia speciale caput instituiam. Aliqui etiam in confirmationem hujus sententiæ congerunt illa Scripturæ testimonia, in quibus dicitur Deus facere ut faciamus et ut præcepta impleamus, vel incipere in nobis velle, et illud perficere, et similia, quæ de auxiliis gratiæ prævenientis specialiter dicta sunt, et ideo nihil ad præsentem causam faciunt, ut in sequentibus, et latius ac proprius in libro quinto, ostendam. Auctoritas ergo hujus sententiæ non est major quam a nobis proposita est; rationum ergo fundamenta perpendamus.

5. *Probatur ratione prima, quia secunda causa nihil agere potest nisi in virtute primæ.* — Prima ratio sit, quia causa secunda nihil agere potest nisi in virtute primæ; ergo necesse est ut Deus prius illi imprimat suam virtutem, per quam ad agendum ultimate compleatur. Consequentia probatur, quia si nihil